



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XI. Zosimi Papae Ad Patroclvm Episcopvm Arelatensem. Aduersus  
Proculum eundem, eiusque ordinationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

EPISTOLA XI.  
 ZOSIMI PAPÆ  
 AD PATROCLVM EPISCOPVM  
 ARELATENSEM.

Aduersus Proculum eundem, eiusque ordinationes.

*Zosimus Patroclo episcopo Arelatensi.*

CVM & in presenti cognoueris, & frequentibus a nobis literis ipse sis monitus, vt auctoritate metropolitani, quam tibi apostolica sedis pronuntiatione firmauimus, Proculi ausibus conatibusque illis, quibus adhuc se putat aliqua posse turbare, huius rei oppressu occurreres, renitens rigore censuraque, quam pro regularum confirmatione susceperas: quippe cum & tibi nostrum delegatum nosses officium, & illum scires esse damnatum; miror quid post ista Proculo liceat, ac vacet illa quæ consueuerat, aut peiora committere. Quidnam putant vnde istam habeas potestatem tuam, frater carissime, vt censuerimus censeamusque quicumque de illis ad nostras regiones veniunt, sine tua non suscipiendos esse formata, nec probandum, quem non in prouincia positus ipse probaueris? Post istam ecce delegationem ad nos rumor aduenit, Proculum quasi consuetis ludere, & vti moribus suis, iunxisse sibi quosdam idoneos turbationibus homines, & post illa quæ illi interdiximus ordinasse. Sed sciant, quibus hanc epistolam volumus in notitiam peruenire, suscipi se nullatenus posse, qui aut contra regulas repente, aut postquam interdiximus illi, sunt ordinati. Data III. Nonas Martias, Honorio XII. & Theodosio VIII. Augustis consulibus.